



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Antidota Evangelica contra horum temporum hæreses**

**Stapleton, Thomas**

**Antverpiae, 1595**

24. Nemo potest duobus Dominis seruire.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39546**

24. *Nemo potest duobus Dominis seruire.*

**P**E STILENT E M doctrinā & Christi ver-  
bis aduersa fronte cōtrariā tradit hoc loco  
Caluinus, ut peccandi necessitatē & man-  
datorum Dei impossibilitatem perpetuō tueatur.  
Sequitur quippe ex hac Christi doctrina, eos qui  
Deo seruiūt, nec diabolo nec carni seruire posse,  
ideoque à seruitute & necessitate peccati immu-  
nes esse, atque ita veram legis obedientiam, qua  
soli Deo seruitur, in hac vita reperiri. Vedit hoc  
Caluinus, & Christi propterea doctrinam conta-  
minandam sibi esse existimauit. Ait ergo. *Verum*  
*quidem est, fideles ipsos nunquam ita in solidum addictos*  
*esse Dei obsequio, quin retrahātur subinde vitiosis carnis cu-*  
*piditatibus. Sed quia gemunt sub hac misera seruitute, sibi*  
*que displicent, nec aliter carni seruiunt, quam inulti & re-*  
*luctantes, non dicuntur duobus Dominis seruire, quia pro-*  
*inde probantur eorum studia & conatus Domino ac si illi*  
*integrā obedientiam præstarent. Hæc ille. Ait fideles*  
*seruire carni, & miseram seruitutem seruire; sed*  
*quia inulti seruiunt, id est, iuxta Caluinum ne-*  
*cessariō, propter vitiatam naturam quæ ad singulos passus*  
*deficit, ut suprà dixit, ideo non seruire duobus Do-*  
*minis. Totus hic sermo aut Christo aperte con-*  
*tradicit, aut implicat cōtradicitionem in adiecto.*  
Si enim fideles seruiunt Deo & seruiunt carni,  
Deo autem & caro duo sunt Domini, vtique aut  
duobus Dominis seruiunt, quod fieri posse negat  
Christus; aut carni nō seruiunt, sed soli Deo. Ce-  
terū Paulus apertissimē docet pios ac fideles non  
seruire carni, sed legi Dei. *Mente (inquit) seruo legi*  
*Dei, carne autē legi peccati. id est, mea superior ratio,*  
tota voluntas mea atque intellectus legi Dei ser-  
uit:

E 5 uit:

Studium  
& cona-  
tum bo-  
num, sed  
ineffica-  
cem ponit  
Caluinus.

Rom. 7:

uit: carne autem, id est, inferior appetitus mens seruit legi peccati, id est, malis concupiscentijs afficitur ac subiicitur, quibus semper animus reluctatur. Deinde seruire carni, est secundum carnem ambulare. Atqui Apostolus dicit.

*Si secundum carnem vixeritis, moriemini.* Fideles ergo, ut Deo vivant, non seruiunt carni. Dicit D. Petrus.

*A. quo quis superatus est, huius & seruus est.* Fideles ergo Calviniani si carni seruiunt, à carne superantur, & secundum carnem ambulant. Dicit Christus.

*Qui facit peccatum, seruus est peccati.* Sic qui facit opera carnis servit carni. Fideles ergo Calviniani si carni seruiunt, opera carnis faciunt, quae qui faciunt, regnum Dei non possunt debere. Dicit iterum B. Paulus.

*Nescitis quoniam cui exhibetis vos seruos ad obedientiam, seruus estis eius cui obeditis, sive peccati ad mortem, sive obedientiae ad iustitiam?* Fideles ergo Calviniani si seruiunt carni, exhibent se seruos ad obedientiam ei, & serui sunt peccati ad mortem. Non exhibent se seruos, ait Calvinus, sed inuiti & reluctantes seruiunt. Sic quidem ille loquitur, sed aliter nos Scriptura docet, neminem seruire peccato nisi volentem, & qui seipsum seruum exhibet. *Quod vnicus ille Dei sermo probat.* Per exitio tua ex te Israel, id est, ex tua propria & prava voluntate. Denique si inuiti & reluctantes seruiunt, fortior est diabolus quam Christus.

*Quod enim reluctantur, ex Christi gratia est;* quod seruiunt, ex diabolo est.

*Sed credimus Scripturæ dicenti.*

*Maior est qui in nobis est,*

*quam qui in mundo est.*

*Vos ex Deo estis filio-*

*li, & viciistis*

*eum.*

I. N.

**1. Ioan. 3.**

**Rom. 8.**

**2. Pet. 2.**

**Ioan. 8.**

**Gal. 5.**

**Rom. 6.**

**Osta 13.9**